Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 935
Quelle:
Copyright:

Verbo Dei exposuisset, procedit in allegorica ejusmodi expositione usque ad initium v. 9. *Respiciam vos*, finitque: *Sed ubi ad eum* (Petrum) *respexit dominus, continuo subleuatur*. An sola hic desideretur δοξολογια, an Homilia, quae tamen jam in Codice 8. Columnas implet, abrupta sit, mihi non liquet. *Caesarii* esse, ut iterum dicam, suadet etiam ratio citandi sacrum Textum, quae verbis se non adstringit.

CCCCV.

R. 76 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 104. 8. sat bene scriptus, titulis et initiorum literis partim miniatis, partim deargentatis, oblatus cum pluribus aliis Bibliothecae a *Thoma M. Alfano* O. P. anno 1721. complectitur *Libros III. Sententiarum* dictos etiam *de summo Bono* autore *Isidoro*, qui Sec. VII. Sedem *Hispalensem* illustravit. Capitulare omnium III. *Librorum* praecedit. Liber I. praescriptus: *Ysidorus de Summo bono*, incipit: *Summum Bonum Deus Est. quia incommutabilis est. et corrumpi omnino non potest.* &c. Textus collatus cum Edit. *Jac. du Breul Paris.* 1601. p. 617. f. nihil peculiare offert; est enim a secunda manu passim emendatus. Differt tamen quandoque divisio Capitum, et in fine L. III. Capita duo LXI. *De Brevitate Vitae*, et LXII. *De Exitu* desunt, quae nobis forent LXV. et LXVI.

Foliis 3. ultimis Sec. XIII. adscripta sunt quaedam PP. puta *Augustini* et *Ambrosii*, item *Gratiani* loca de Eucharistia.

CCCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 96 XIV. Folior. 87. f. min. per duas columnas exaratus charactere nitido luculento, rubricis decorus, et a *Joh. Fabro* Praesule nostro a. 1540. suo ad D. *Nicolaum* Collegio donatus teste Nota praevia impressa sequentia ad S. *Isidorum Hispal.* Ep. Sec. VII. Scriptorem relata condit Opuscula. I. post Elenchum Capitum XXXI. *Incipit liber ysidori de summo bono*. Titulus iste a primis Opusculi verbis provenit: *Summum bonum est* &c. Ceterum inscribitur *Sententiae*, et in III. Libros divisum est, ut Edit. *Paris.* 1601. p. 617. f. Quod divisionem in Capita adtinet, Caput Edit. XVI. *de Ecclesia et Haeresibus*, in Codice divisum est in duo, quorum XVII. inscribitur *De hereticis*, et ibi incipit: *Non posse hereticos habere veniam* &c. Caput sequens *de Gentilibus* in Codice melius inscribitur *de Philosophis*. Divisio Libri II. consentit cum Editis, sed Liber III. pro Capp. LXII. censet LXVI. differentia inde a Cap. L. oriunda. Integra ceterum sunt omnia, lectioque sic satis proba.

II. *fol.* 52. *Ysidorus de ineuitabili: siue de libero arbitrio*. Erravit Librarius. Quanquam enim quaedam *Isidori*, et praecipue L. II. *de Different. spirit.* Articulus 27. *Arbitrium est uoluntas libere pote-*